



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 12. Solvuntur objectiones petitæ à ratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

Obj. 6. eundem in Eucherio c. 9. ubi sic ait: *Neque enim ob aliud veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniam quicquid vult potest, nec voluntate cuiuspiam creature voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* R. rectè dici à S. Doctore, & nos cum eo dicere, Deum non fore omnipotentem, si non possit potentia ad actum reducenda quicquid vult absolute & efficaciter; item repugnare, quod voluntate cuiuspiam creature voluntatis omnipotentis impediatur effectus, quem absolute & efficaciter intendit. Unde ex hypothesi quod Deus velit absolute & efficaciter v. g. ut peccator convertatur, necessarium est necessitate antecedente, absolute & insuperabili, sed extrinseca, ut peccator convertatur. Et quia Deus vult absolute & efficaciter non solum ut peccator convertatur, sed etiam ut liberè convertatur, necessarium est necessitate antecedente, absolute & insuperabili, sed extrinseca, non solum ut peccator convertatur, sed etiam ut liberè convertatur.

Hanc autem necessitatem facit decretum absolutum & efficax voluntatis omnipotentis, non quia voluntas omnipotens habet in potestate sua gratias sive excitantes sive operantes, ex natura sua irrepudiabiles, quibus peccatores ad poenitentiam agendam insuperabiliter prædeterminare potest; sed quia voluntas omnipotens non potest non habere in potestate sua gratias excitantes, ex natura sua repudiabiles, quibus tamen, si eas dare velit, peccatores ad poenitentiam sic vocatura est, quomodo eis congruit ut illam velint agere & agant.

Hoc satis aperte asserit S. Augustinus lib. 1. ad Simplicium. q. 2. *Non potest, inquit, effectus misericordie Dei esse in hominis potestate ut frustra ille misereatur, si homo nolit; quia si vellet etiam ipsorum (qui non convertuntur) misereri, passet ita vocare, quomodo illi aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur (vocantem.)* Et inferius. *Nullius, inquit, Deus frustra misereatur. Cujus autem misereatur, sic enim vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Juxta S. Doctorem, effectus misericordie Dei non potest ita esse in potestate hominis, ut homo non convertatur, etiam si Deus absolute & efficaciter velit ut convertatur: quia homo non potest impedire Deum, ne possit illum ad conversionem ita vocare quomodo illi aptum est ut velit converti, & convertatur. Nullius Deus frustra misereatur, quia nullum frustra Deus absolute & efficaciter vult converti; & nullum frustra Deus absolute & efficaciter vult converti; quia nullus est, quem non possit, si velit, in quibuscumque circumstantiis sic vocare ad conversionem, quomodo illi congruit, ut velit converti & convertatur; & quicumque absolute & efficaciter vult converti, ad conversionem summa infallibilitate sic vocat, quomodo illi congruit, ut velit converti & convertatur.

ARTICULUS XII.

Solvuntur objectiones petitæ à ratione.

Obj. 1. Gratia efficax, in nostro systemate, est per se efficax voluntatis. Atqui hoc Semipelagianum est. Ergo, &c. R. neg. maj. & dico gratiam efficacem, secundum nos, in omni effectu suo prævenire voluntatem. Duplicem habet effectum gratia efficax. Primus est, excitare, corroborare, & movere voluntatem quomodo illi aptum est ut consentiat. Secundus est operari consensum voluntatis cum ipsa voluntate. Primum præstat effectum gratia efficax independentem ab omni libertatis exercitio, & ante omnem actum salutarem à voluntate deliberatè elicitem. Igitur quoad primum effectum suum, gratia efficax non subsequitur voluntatem deliberatè agentem, sed è contra illam prævenit.

Secundum effectum simul quidem tempore & indivisibiliter operatur gratia efficax cum voluntate de-

liberatè agente, sed ita simul tempore & indivisibiliter operatur, ut natura prius operetur, & voluntatem causalitate præveniat, quia voluntas non consentit, nisi dependenter à gratia ad consentiendum ipsam actu elevante, excitante, corroborante, imò & movente quomodo illi aptum est ut consentiat: unde gratia etiam physicè voluntatem applicat ad consensum, & natura prius, media voluntate, seu per voluntatem quam immediatè afficit, insluit in consensum voluntatis, quàm ipsa voluntas. Hinc gratia respectu consensu voluntatis est causa superior, principalis, subalternans, applicans, pramovens; voluntas certò causa inferior, instrumentalis, subalternata, præmota applicata, adeoque in omnibus prævenita.

Quantum verò ad Semipelagianos pertinet, gratiam faciebant voluntatis pedissequam, docendo eam non dari gratis, sed ex merito actus alicujus boni, ex solis arbitrii naturalis viribus liberè elicit, sique voluntatem semper præire aliquo suo actu naturali, liberè elicit; gratiam verò ad virtutum opera necessariam sublequi. Quem errorem cum omnibus Catholicis detestamur, & cum illis profiteamur, omnem actum salutarem supponere gratiam gratis collatam, alioquin gratia jam non esset gratia; neque nos unquam velle & operari bonum, sicut oportet ad salutem, nisi prius Deus ex pura misericordia sic nos ad volendum & operandum bonum moveat, quomodo scit nobis congruere ut bonum velimus & operemur: cum enim tantum, cujus miseretur, sic vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.

Obj. 2. Gratia efficax, in nostro systemate, est subiecta libero arbitrio. Item est gratia indifferens. Item est gratia versatile: Item partus est scientiæ exploratrici. R. ad 1. neg. Nam è contra gratia efficax sibi subicit liberum arbitrium, pramovendo illud quomodo illi congruit ut consentiat, illudque applicando ad consentiendum: quamvis non illud ita subiciat sibi, ut ei non relinquat potentiam non consentiendi, etiam moraliter & humanitè ad actum reducibilem in sensu composito morionis.

Ad 2. R. neg. Itaque gratia efficax, in nostro systemate, est ex se determinata ad effectum, ad quem datur, sic tamen ut per se, & intrinsecè sit repudiabilis: sic enim Deus dat eam determinatè ad hunc actum salutarem, ut simul relinquat voluntati potentiam etiam moralem sequendi, vel non sequendi motum & determinationem ejus. Quare voluntas consentiens gratiæ efficaci, liberè motum, & determinationem ejus sequitur, at non eam determinat, ut vel ipsa vox consentire manifestè significat. Quid enim est consentire gratiæ, nisi motum & determinationem gratiæ sequi?

Ad 3. R. 1. Hanc vocem, versatilem, primum inventam esse & usurpata ab humanæ libertatis hostibus, & necessitantis gratiæ patronis, ut veram Christi gratiam excitantem, si fieri posset, in contemptum adducerent, & aliam falsam, à se subintroducunt, commendarent. 2. Cum per gratiam versatilem, excitantem gratiam intelligant eam, quæ non est per se & intrinsecè impossibilis cum negatione consensu, nec voluntatem prædeterminat insuperabiliter, sed potest etiam moraliter, & humanitè repudiari à voluntate, quo sensu gratia excitans, statui naturæ innocentis propria, fuit gratia versatile; non negabimus gratiam efficacem in nostro systemate esse gratiam versatilem, ipsam tamen vocem propter idiotas & sciolos reprobantes.

Ad 4. R. neg. Nam Deus in danda gratia efficaci dirigitur per scientiam mediam, quæ est scientia futuribilem. Scientia autem futuribilem non magis est scientia exploratrix, quàm scientia merè possibilem, quæ est scientia simplicis intelligentiæ, aut scientia aliquando existentium, quæ est scientia visionis. Quasi verò Deum laborare necesse sit in investigandis veritatibus conditionalibus, & inquirendis modis, quibus movere possit homines, quomodo illis con-

con-

congruit, ut motioni obtemperent; cum è contra pro quolibet instanti reali æternitatis clarè, distinctè, & summa certitudine cognoscat omnia liberè futuribilia sub quacumque conditione possibili, & omnes modos possibiles, quos habet in thesauris omnipotentia suæ ad movendos sive congruè, sive incongruè quoslibet homines possibiles in quibuslibet circumstantiis possibilibus. Sed tædet & pudet me nugis ejusmodi refellendis immorari.

Obj. 3. Deus, secundum nos, in danda gratia efficaciter attendit ad genium, mores, & alias ejusmodi circumstantias hominis, cui dat gratiam. *R.* Attendere non ex aliqua necessitate: nam si veller, voluntatem hominis prædeterminaret insuperabiliter; sed ex suavitatis providentiæ, nimirum ut hominem moveat quomodo illi congruit, ut velit & opereatur bonum; moveat, inquam, ei relinquendo expeditam facultatem non volendi bonum etiam in sensu composito motionis; adeoque moveat efficaciter, illasque prorsus arbitrii libertate.

Dices. Deus, secundum nos, ut vocet hominem efficaciter, tenetur expectare, & explorare tempus congruum, aliasque circumstantias congruas; & aliasque circumstantias, secundum nos, ita sunt incongruæ, ut Deus in illis non possit vocare hominem efficaciter. *Resp.* Hæc omnia esse falsa. Nam secundum nos, nullum tempus, nullæ circumstantiæ sunt, in quibus non possit Deus hominem vocare, quomodo ei congruit ut vocantem non respiciat. Nullum tempus incongruum, nullæ circumstantiæ esse possunt respectu Dei, quia tempus, quod incongruum est (idem dic de circumstantiis aliis quibuslibet) respectu unius gratiæ, nec est, nec esse potest incongruum respectu totius collectionis gratiarum, quas Deus habet in thesauris omnipotentia suæ: neque enim infinitè sapienti & potenti Deo possunt non adesse modi non tot, quin plures, quibus vocare possit hominem quovis tempore, & in quibusvis aliis circumstantiis, quomodo ei aptum est ut lequatur vocantem.

Obj. 4. In nostro systemate tollitur necessitas orationis. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam secundum nos, nihil est, quod necesse sit à Deo petere. 1. Enim necesse non est petere gratiam, quia nobis à Deo offertur, quoties præceptum aliquod, vel tentatio aliqua gravis urget. 2. Necesse non est petere congruitatem gratiæ, quia non à Deo, sed à nobis est. Ergo, &c.

Resp. Neg. ant. Ad prob. neg. ant. Nam 1. cum omnibus Doctoribus Catholicis dicimus, non semper adesse gratiam proximè sufficientem ad implendum præceptum, aut vincendam tentationem, & Deum gratiam hanc sæpè non dare, nisi debitè petatur. 2. Falsum est quòd in systemate nostro congruitas gratiæ sit à nobis, non à Deo. Secundum nos igitur, congruitas gratiæ tam est à Deo, quam ipsa gratia: congruitatis enim denominatio, secundum nos, tota intrinseca est gratiæ, quia gratia ex propria & intrinseca virtute movet voluntatem quomodo ei congruit ut consentiat, & sic ex propria & intrinseca virtute congrua est, quamvis impedibiliter: cum enim sit ex natura sua repudiabilis, potest eam voluntas repudiare, & eam repudiando, congruitatem ejus impedire. Congruitas gratiæ est modus gratiæ verus & realis, purus, intrinsecus, contingens, qui potest adesse vel abesse, nullatenus immutata virtute & perfectione intrinseca gratiæ. Mystera quærent adversarii, en mysterium.

Quando gratia congrua est, congruitatem suam habet formaliter à se ipsa, seu à sua entitate, efficienter à Deo, misericorditer illam dante in iis circumstantiis, in quibus à voluntate non impeditur ejus congruitas. Voluntas autem non impediendo ejus congruitatem, nihil ei tribuit, sed è contra accipit unde non impeditur, quia ab ea accipit unde ei consentiat. Eadem specie & intensione gratia, quæ in certis circumstantiis congrua est, incongrua esset in aliis, in quibus si daretur, congruitas ejus

impediretur à voluntate. Voluntas autem impediendo ejus congruitatem, nihil ei detraheret, quia præcisè ei dissentiendo congruitatem ejus impediunt, & natura prius, quam impediret, gratia haberet suam incongruitatem: sicut in aliis circumstantiis, in quibus non impedit, natura prius, quam non impediat, gratia congruitatem suam habet.

Gratia, quia talis est speciei cum tot gradibus intensiōis, in talibus circumstantiis movet voluntatem quomodo ei congruit, & sic in talibus circumstantiis congrua est. Gratia, quia non est talis speciei, aut quia non habet tot gradus intensiōis, in talibus circumstantiis non movet voluntatem quomodo ei congruit; & sic in talibus circumstantiis incongrua est. Unde gratia congrua est aut incongrua natura prius, quam voluntas ei consentiat, aut non consentiat: quia natura prius, quam voluntas ei consentiat, aut non consentiat, est aut non est talis speciei, habet aut non habet tot gradus intensiōis. Potest tamen voluntas pro arbitrio impedire vel non impedire ejus congruitatem, quia potest pro arbitrio ei consentire vel non consentire; & potest pro arbitrio ei consentire vel non consentire, quia ex natura sua repudiabilis est, & sic non est ex propria virtute & perfectione congrua necessariò & ineluctabiliter, sed contingenter & fallibiliter.

Obj. 5. Gratia efficax, quæ efficax, pendet à consensu voluntatis in nostro systemate; nam secundum nos, gratia efficax est, si voluntas consentit, inefficax verò, si voluntas non consentit. Unde secundum nos, gratiam esse efficacem, & gratiam esse efficientem; item gratiam esse inefficacem, & gratiam non esse efficientem, idem planè significant. Ergo, &c.

Resp. Circa hanc objectionem doctrinam nostram accipe sequentibus numeris. 1. Efficacia gratiæ duo dicit, congruitatem, & infallibilitatem congruitatis. Nam gratia efficax est gratia infallibiliter congrua, hoc est, gratia, quæ si detur, infallibiliter movetur voluntatem; seu gratia, quæ cum datur, infallibiliter movet voluntatem, quomodo ei congruit, ut consentiat. Consensus autem considerari potest tripliciter, videlicet, ut actu existens, ut absolute futurus, ut futurus sub conditione, vel, quod idem est, ut futuribilis.

2. Neque congruitas neque infallibilitas congruitatis dependet dependentia propriè dicta à consensu actu existente. Nam gratia natura prius movet, & infallibiliter movet voluntatem quomodo ei congruit, quam actu consentiat. Hinc neque congruitas, neque infallibilitas congruitatis dependet dependentia propriè dicta à consensu absolute futuro: nam si gratia natura prius movet, & infallibiliter movet voluntatem quomodo ei congruit, quam actu consentiat, natura prius futurum est, ut gratia moveat, & infallibiliter moveat voluntatem quomodo ei congruit, quam futurum sit ut consentiat.

3. Congruitas non dependet propriè à consensu futuribili, quia gratia, quæ supposita existere, consensus futuribilis est, natura prius congrua est in illo statu, quam consensus sit futuribilis: nam si re ipsa existeret illa gratia in circumstantiis, pro quibus futuribilis est consensus, natura prius moveret voluntatem quomodo ei congruit, quam ab ea poneretur consensus; atque ita natura prius congrua esset, quam voluntas consentiret.

4. Infallibilitas congruitatis non dependet propriè à consensu futuribili, quia non natura, sed ratione tantum posterior est consensu futuribili, quæ tali; nec aliter dependet à consensu futuribili, quæ tali, quam ipsa scientia divina media, cujus est effectus formalis. Scientia autem media non nisi improprie dependet ab objecto, sicut & scientia simplicis intelligentiæ & scientia visionis, quæ objectum suum non faciunt, sed illud necessariò supponunt: ita ut non nisi eo præsupposito esse possint.

5. Igitur efficacia gratiæ propriè loquendo non dependet à consensu voluntatis, & eatenus dici potest ab eo

ab eo dependere, quatenus voluntas potest potentia ad actum reducibili illam indirectè impedire. Quod in re nihil aliud est, quàm gratiam non esse per se infuitrabiliter efficacem, non esse per se nisi contingenter congruam, eamque sic movere voluntatem quomodo ei congruit, ut relinquat voluntati expeditam facultatem consentiendi vel non consentiendi pro arbitrio, neque eam insuperabiliter prædeterminet ad alteram partem contradictionis. Unde voluntas verè potest componere dissensum cum entitate gratiæ, & componendo impedire, ne Deus præviderit talem gratiam in talibus circumstantiis datam, moturam esse voluntatem, quomodo ei congruet ut consentiat. Quæ doctrina planè consentanea est Synodis Senonensi & Tridentinæ.

6. Ad id quod dicitur, quòd secundum nos gratia est efficax si voluntas consentit, & inefficax si voluntas non consentit, *Resp.* 1. Hunc modum loquendi in quolibet systemate usurpari posse à posteriori, ex actuali consensu, vel non consensu colligendo efficaciam vel inefficaciam gratiæ. *Resp. itaque* 2. Secundum nos, gratia est efficax si voluntas consentit, & non efficax si voluntas non consentit, ita ut, secundum nos, actualis consensus sit natura posterior, quàm efficacia gratiæ, & non consensus sit natura posterior, quàm inefficacia gratiæ, & secus, N. Secundum nos igitur, non consensus efficaciam gratiæ, sed efficacia gratiæ consensum, similiter non dissensus inefficaciam gratiæ, sed inefficacia gratiæ dissensum natura præcedit. Ratio est, quia secundum nos, non consensus efficaciam gratiæ, sed efficacia gratiæ consensum positivè, similiter non dissensus inefficaciam gratiæ, sed inefficacia gratiæ dissensum negativè causat.

7. Ad id quod dicitur, quòd secundum nos, gratiam esse efficacem, & gratiam esse efficientem; item gratiam non esse efficacem, & gratiam non esse efficientem, sint prorsus unum & idem, *Resp.* esse falsum. Nam secundum nos, spectato solo actu primo, gratia est efficax vel inefficax, & tamen neque efficiens, neque non efficiens est; cum efficientia ad actum secundum, & negatio efficientiæ ad actus secundi negationem pertineat. Sicut igitur actus secundus natura posterior est actu primo; ita, secundum nos, efficientia gratiæ natura posterior est ejus efficacia.

Obj. 6. In nostro systemate, homo potest pro arbitrio reddere gratiam efficacem, vel inefficacem. *Resp.* Hoc esse falsum. Nam ad hoc ut homo verè & propriè dici possit, posse pro arbitrio reddere gratiam efficacem vel inefficacem, requiritur, ut ante actum secundum gratia neque efficax sit, neque inefficax, sed sit ad utrumlibet indifferens. Atqui quòd ante actum secundum gratia neque efficax sit, neque inefficax, sed sit ad utrumlibet indifferens, falsum est, secundum nos: cum secundum nos, spectato solo actu primo sit efficax vel inefficax: nam secundum nos, vel congruit voluntati, vel non congruit. Si primum, efficax; si secundum, inefficax est, etiam spectato solo actu primo.

Declaratur ampliùs doctrina nostra. Homo, accepta gratia, vel consentit, vel non consentit. Si primum, gratia fuit natura prius congrua, quàm homo consentiret. Si secundum, gratia fuit natura prius incongrua, quàm homo non consentiret. Unde homo non potest consentire vel non consentire gratiæ, nisi cum suppositione quòd, si consentiat, gratia fuerit natura prius congrua, quàm consentiret; si verò non consentiat, gratia fuerit natura prius incongrua, quàm non consentiret. Manifestum autem est eum, qui non potest consentire vel non consentire gratiæ, nisi cum tali suppositione, non posse pro arbitrio gratiam efficacem vel inefficacem reddere, quamvis possit ejus efficaciam vel inefficaciam impedire vel non impedire pro arbitrio, hoc ipso quod potest pro arbitrio ei consentire vel non consentire.

Obj. 7. In nostro systemate, est in hominis pote-

state habere vel non habere gratiam efficacem. Atqui hoc repugnat doctrinæ S. Augustini. Ergo, &c. R. neg. maj. Secundum nos itaque, 1. non est in potestate hominis non habere gratiam efficacem, quia non est in potestate hominis facere, ne Deus eum, si velit, vocet quomodo ei congruit, ut consentiat; quia simpliciter repugnat, Deum infinitè sapientem & potentem, non habere plures modos vocandi, etiam ex se repudiabiles, quibus hominem quemlibet vocare possit, si velit, sicut ei congruit, ut vocantem non respuat, sed liberè consentiendo sequatur. Unde simpliciter repugnat, inter omnes vocandi modos possibiles, ex se repudiabiles, non esse plures respectu cujuslibet hominis, qui repudiari ita possint potentia ad actum reducibili, ut tamen re ipsa non sint repudiandi, si Deus illos adhibere velit.

Porò, quod obiter observandum est, quòd simpliciter repugnet, inter omnes vocandi modos possibiles, ex se repudiabiles, non esse plures, &c. est veritas necessaria, adeòque objectum simpliciter intelligentiæ. At quòd hic vocandi modus potius quàm ille ita repudiari possit ab homine potentia ad actum reducibili, ut tamen re ipsa non sit ab homine repudiandus, si à Deo adhibeatur, est veritas contingens, adeòque objectum scientiæ contingentis, nempe scientiæ mediæ.

2. Non est in potestate hominis habere gratiam efficacem: nam homo facere non potest, ut uno potius modo vocetur à Deo, quàm alio, ac proinde facere non potest, ut potius vocetur à Deo modo congruo quàm incongruo. Præterea, si in hominis potestate est, per aliquid habere gratiam efficacem, certè per consensum, quem dare potest gratiæ. Atqui hoc dici non potest. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam simpliciter repugnat, ut homo per illum habere possit gratiam efficacem, cujus existentia semper supponit congruitatem gratiæ. Atqui existentia consensus semper supponit congruitatem gratiæ. Ergo, &c.

3. Denique, quòd non sit in hominis potestate habere vel non habere gratiam efficacem, breviter demonstratur. Esse in hominis potestate habere vel non habere gratiam efficacem, hic idem est, ac hominem posse gratiam, quàm à Deo accipit, efficacem vel inefficacem reddere. Atqui hoc non potest homo, ut probatum est. Ergo, &c.

Obj. 8. In sententia nostra non melius defenditur gratia verè sufficiens, distincta à gratia efficaci, quàm in systemate celestis delectationis per excessum, quo terrenam superat, intrinsecè irrepudiabilis, adeòque insuperabiliter voluntatem prædeterminantis. R. Hoc esse falsum. Nam in sententia nostra gratia excitans incongrua, non est gratia efficax, & tamen verè sufficit voluntati ad volendum & operandum bonum: nam verè dat voluntati completum & integrum posse bene velle & operari. Et verò si non dat, certè propter incongruitatem. Atqui hoc dici non potest: nam incongruitas non dicit negationem alicujus virtutis ad volendum & operandum bonum necessariæ, sed solum negationem modi excitandi & movendi voluntatem, sine quo voluntas in talibus circumstantiis non volet nec operabitur bonum, quamvis possit illud velle & operari.

In systemate verò celestis delectationis per excessum, quo terrenam superat, &c. gratia verè sufficiens, à gratia efficaci distincta, defendi non potest nisi vocetur. In hoc systemate duplex est delectatio, celestis scilicet & terrena. Celestis cum terrenam intensione superat, est gratia efficax, & voluntatem insuperabiliter prædeterminat ad bonum; & consequenter terrena, cum intensior est celesti, celestem reddit inefficacem, & voluntatem insuperabiliter prædeterminat ad malum. Nam si terrena delectatio non habet vim voluntatem ad malum insuperabiliter prædeterminandi, quando celesti delectatione intensior est, manifestè gratis dicitur delectatio celestis vim habere voluntatem ad bonum prædeterminandi insuperabiliter, quando intensior est delectatione terrena. In hoc igitur systemate si quæ gratia præter

præter efficacem est verè sufficiens, alia esse non potest, quàm delectatio cœlestis, terrena delectatione remissior; ad quod requiritur, ut cum hac delectatione in hoc systemate habeat voluntas completum & integrum posse bene velle & operari; licet non bene, sed malè velit & operetur. Atqui hoc esse non potest, ut demonstratur argumento duplici.

Primum argumentum. Gratia, quacum manet insuperabilis prædeterminatio ad malè volendum & operandum, non dat completum & integrum posse bene velle & operari: Patet ex terminis. Atqui in hoc systemate, delectatio cœlestis, terrena delectatione remissior, comparitur insuperabilem prædeterminationem ad malè volendum & operandum. Nam in hoc systemate quandiu delectatio cœlestis terrena delectatione remissior est, tandiu terrena delectatio vim habet voluntatem insuperabiliter prædeterminandi ad malè volendum & operandum. Ergo, &c.

Secundum argumentum. Tandiu voluntas non habet completum & integrum posse bene velle & operari, quandiu deest illi virtus aliqua, se tenens ex parte actus primi, & ad bene volendum & operandum absolute necessaria. Patet ex terminis. Atqui in hoc systemate, voluntati habenti tantum cœlestem delectationem, terrena delectatione remissior, deest virtus aliqua, se tenens ex parte actus primi, & ad bene volendum & operandum absolute necessaria. Ergo in hoc systemate, tandiu voluntas non habet completum posse bene velle & operari, quandiu habet tantum cœlestem delectationem, terrena delectatione remissior.

Prob. min. Voluntati habenti tantum cœlestem delectationem, terrena delectatione remissior, deest excessus delectationis cœlestis supra delectationem terrenam, sive, quod idem est, deest gradus intensioris, quibus delectatio cœlestis major esset delectatione terrena, ut per se patet. Atqui in hoc systemate excessus ille est virtus se tenens ex parte actus primi, & ad bene volendum & operandum absolute necessaria in præfati statu. 1. Est virtus: nam est id quo delectatio cœlestis terrenam reprimat, id quo delectatio cœlestis est intrinsecè irrepudiabilis, id quo delectatio cœlestis vim habet voluntatem prædeterminandi insuperabiliter ad bene volendum & operandum. 2. Est virtus se tenens ex parte actus primi: nam est pars & complementum excitantis gratiæ, quæ ad actum primum pertinet. 3. Est virtus ad bene volendum & operandum absolute necessaria in statu præfati: nam in hoc systemate voluntas ad bene volendum & operandum in præfati statu indiget gratia ipsam prædeterminante. Ergo voluntati habenti tantum delectationem cœlestem, terrena delectatione remissior, deest in hoc systemate virtus aliqua, se tenens ex parte actus primi, & ad bene volendum & operandum absolute necessaria.

Dices. In potestate voluntatis, delectationem cœlestem, terrena delectatione remissior, habentis, est habere excessum illum, quo cœlestis delectatio terrenam superaret, adeoque voluntatem ad bene volendum & operandum prædeterminaret. Ergo voluntas habens cœlestem delectationem terrena delectatione remissior, sua culpa non habet excessum illum, & ita sua culpa non bene vult & operatur. Ergo delectatio cœlestis, quamvis terrena delectatione remissior, censenda est dare voluntati sufficiens posse bene velle & operari.

Resp. neg. ant. Nam si in potestate voluntatis, delectationem cœlestem, &c. certè vel quia directè, vel quia saltem indirectè potest voluntas excessum illum sibi procurare. Neutrum dici potest in hoc systemate. Non primum: nam voluntas non potest novos gradus addere delectationi cœlesti, quam habet; cum secundum omnes partes suas sit prorsus indeliberata. Non etiam secundum: nam si potest indirectè, certè minuendo terrenam delectationem. Atqui hoc non potest: nam si potest cum delectatione cœlesti minore minuere terrenam delectationem maiorem, potest etiam ejus activitatem suspendere, potest actum

objecti illiciti prosecutivum, ad quem inducitur, suspendere. At quod voluntas possit suspendere activitatem terrenæ delectationis prædominantis, ipsamque captivantis; quod voluntas possit suspendere actum abjecti illiciti prosecutivum, ad quem insuperabiliter prædeterminatur à terrena delectatione prædominante, evidenter implicat contradictionem. Ergo, &c.

Dices. Quod præter gratiam efficacem detur etiam alia gratia verè sufficiens, tam bene defenditur in hoc systemate, quàm in doctrina Thomistarum. *R. neg.* Nam secundum Thomistas, ad bene volendum & operandum, præter gratiam excitantem requiritur quidem gratia operans, physicè prædeterminans. At secundum illos, hæc operans gratia, se habet ad modum actualis concursus, quod satis impunè dicere possunt. Unde cum actualis concursus se teneat ex parte actus secundi, non ex parte actus primi, Thomista præter gratiam excitantem, nullam aliam virtutem ad bene volendum & operandum necessariam requirunt, quæ se teneat ex parte actus primi: quare in eorum doctrina gratia excitans dat completum & integrum posse bene velle & operari, & sic in eorum doctrina defenditur gratia verè sufficiens, præsertim cum velint actualem illum concursum prædeterminativum, quem præter excitantem gratiam ad bene volendum & operandum requirunt, à Deo offerri omnibus: ita ut qui illum non recipiunt, propter positivam, vel saltem negativam aliquam resistantiam non recipiant.

At in systemate quod impugnamus, velint, nolint illius defensores, voluntati non habenti cœlestem delectationem, terrena delectatione intensior, deest virtus aliqua, ad bene volendum & operandum necessaria, se tenens ex parte actus primi. Unde manifestè sequitur, voluntatem in hoc systemate, sine delectatione cœlesti, terrenam delectationem intensioris gradibus superante, non habere completum & integrum posse bene velle & operari, adeoque in hoc systemate non esse aliam gratiam verè sufficientem, præter delectationem cœlestem, terrena delectatione intensior.

Dices. Si ita est, neque in sententia nostra præter gratiam efficacem datur alia gratia verè sufficiens. Nam secundum nos, gratia congrua necessaria est ad bene volendum & operandum. *Resp. neg. instantiam.* *Ad prob. Resp. dist.* Secundum nos gratia congrua ad bene volendum & operandum necessaria est propter virtutem aliquam quam habet, quam non habet gratia incongrua, & quæ tamen necessaria sit ad bene volendum & operandum. *N.* Propter connexionem alicujus veritatis cum alia veritate, *C.* Itaque gratia congrua, secundum nos, non est ad bene volendum & operandum necessaria, nisi quia verum esse non potest, quod voluntas bene velit & operetur, quia natura prius verum sit, voluntatem à Deo excitari & moveri, quomodo ei congruit ut bene velit & operetur. Unde secundum nos, voluntas potest habere completum & integrum posse bene velle & operari, licet non habeat gratiam congruam, & quia non habet, non bene velit & operetur.

Dices. In sententia nostra fieri potest hæc suppositio: Hic & nunc voluntas mota per actum indeliberatum amoris intensum ut sex, consentiet; mota verò per actum indeliberatum amoris intensum tantum ut quatuor, non consentiet. *Resp.* Ex hac suppositione sequi tantum, quod quandoque, vel etiam, si vis, sæpè gratia congrua in nostro systemate supra incongruam dicat virtutem aliquam, si ne qua non esset congrua, & si ne qua proinde voluntas non vellet nec operaretur bonum, sed virtus illa ad bonum volendum & operandum non est necessaria, secundum nos: nam secundum nos quandoque voluntas in iisdem planè circumstantiis, mutata sola temporis circumstantia, cum actu indeliberato amoris intenso tantum ut quatuor, vellet & operaretur bonum.

In systemate verò, quod impugnamus, voluntas pro nullo casu possibili in præfati statu vellet, & opera-

operaretur bonum cum cœlesti delectatione terrenam non excedente; unde manifestè sequitur in hoc systemate, cœlestis delectationis supra terrenam excessum esse virtutem voluntati in præsenti statu ad volendum & operandum bonum absolute necessariam: cum autem hæc virtus se teneat ex parte actus primi, ulterius manifestè sequitur in hoc systemate voluntatem sine illa non habere completum & integrum posse velle & operari bonum, adeoque sine illa non habere gratiam verè sufficientem.

Obj. 9. Multum elevamus gratiam efficacem, docendo illam esse intrinsecè repudiabilem, & ita denegando illi vim insuperabiliter prædeterminandi voluntatem. *Resp.* Hoc esse fallum. Imò verò gratiam efficacem plurimum extollimus & commendamus, dum infallibilem ejus congruitatem cum intrinseca ipsius repudiabilitate conciliamus. In eo enim quod voluntas sic moveatur, ut retineat expeditam facultatem consentiendi vel non consentiendi etiam in sensu composito motionis, & tamen summa infallibilitate consentiat, longè magis commendatur sapientia & potentia divina, quam in eo quod voluntas infallibiliter consentiat ex insuperabili ad consentiendum prædeterminatione; quod per se manifestum est intellectui cuilibet, quem non excacaverunt falsæ opiniones præjudicatæ.

Dices. Gratia excitans ex natura sua irrepudiabilis, potentior est, quam gratia excitans ex natura sua repudiabilis: prima enim vim habet voluntatem prædeterminandi; secunda verò non habet. Plus ergo gratiæ excitanti tribuunt, qui dicunt illam ex natura sua irrepudiabilem esse, quam qui dicunt esse repudiabilem ex natura sua.

Resp. 1. Gratia excitanti tribuendam non esse prærogativam ullam, quæ libertatem arbitrii excludat. Intrinseca autem irrepudiabilitas gratiæ excitantis excluderet libertatem arbitrii: cum enim gratia excitans se teneat ex parte actus primi, gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, actum primum antecederet & insuperabiliter obligaret ad alteram partem contradictionis. Actus autem primus sic obligatus, non esset liber libertate arbitrii.

2. Dignitati & perfectioni gratiæ excitantis sufficientissimè consulitur, si dicatur ex propria & intrinseca virtute movere voluntatem quomodo ei congruit ut consentiat; quamvis ita moveat eam ad consensum, ut ei relinquat non solum physicam, sed etiam moralem & humanitatis ad actum reducibilem potentiam non consentiendi etiam in sensu composito motionis. Imò verò sic movendo voluntatem, & tamen consensum ejus ab ea infallibiliter exprimendo sub directione scientiæ divinæ, & excellentius, & ut ita loquar, divinitus operatur.

3. Qui tribuunt gratia excitanti vim prædeterminandi voluntatem, non magis consulunt ejus perfectioni, quam hominis perfectioni consuleret, qui ei tribueret vim volandi, quia vis prædeterminandi voluntatem non magis convenit naturæ gratiæ excitantis, quam vis volandi convenit naturæ hominis. Natura enim gratiæ excitantis attendenda est secundum intentionem Dei illam conferentis. Deus autem in ea conferenda intendit ut voluntas sic consentiat, ut consentiendo laudem mereatur & præmium. Porro quam laudem, quodve præmium mereretur voluntas consentiendo gratiæ excitanti ex natura sua irrepudiabili, adeoque ipsam antecedenter & insuperabiliter prædeterminanti ad consentiendum?

Certe cum ad summum, ipsismet adversarii ita docentibus, voluntas sub tali gratia non esset aliter libera ad non consentiendum, quam vir sapiens liber est ad eruendos sibi oculos in sensu composito sapientiæ, ut amico id per jocum roganti obsequatur; voluntas consentiendo non magis laude præmovere digna esset, quam vir sapiens non eruen-
tunc dignus esset vir sapiens, quod amico in eruen-

dis sibi oculis obsequi noller? Intrinseca igitur irrepudiabilitas, & vis prædeterminandi voluntatem, naturæ gratiæ excitantis disconveniens est, & tam disconveniens est, quam vis volandi naturæ hominis.

Obj. 10. Concordia gratiæ efficacis cum libero arbitrio, ut docet S. Augustinus, intellectu difficillima est: ita ut pauci admodum eam capere valeant. Ergo sententia nostra, in qua hæc concordia nullo negotio intelligitur, falsa est, & contraria sancto Augustino.

Resp. 1. Retorquendo argumentum contra defensores gratiæ excitantis, ex natura sua irrepudiabilis. Juxta S. Augustinum, concordia gratiæ efficacis cum libertate arbitrii intellectu quidem difficillima est, & idè pauci illam capere valent; at non est impossibilis. Atqui in systemate gratiæ excitantis, ex natura sua irrepudiabilis, concordia gratiæ efficacis cum arbitrii libertate evidenter impossibilis est. Ergo hoc systema evidenter fallum est, & S. Augustini sententiæ contrarium.

Prob. min. Evidenter repugnat actum primum esse liberum libertate arbitrii, & simul antecederet atque insuperabiliter obligatum ad alteram partem contradictionis. Nullus Doctor Catholicus hanc propositionem negabit. Atqui in systemate gratiæ excitantis, ex natura sua irrepudiabilis, gratia efficax, quæ in illa excitante gratia, irrepudiabili ex natura sua, consistit, antecederet atque insuperabiliter actum primum ad alteram partem contradictionis obligat, ut patet ex terminis. Ergo, &c.

Resp. 2. Directè, concordiam gratiæ efficacis cum arbitrii libertate, juxta S. Doctorem, difficillimam esse; quia juxta S. Doctorem, ad hanc concordiam requiritur ut inter se conciliantur duo, nempe quod gratia summa infallibilitate voluntatem ad consentiendum permoveat, & tamen voluntas sub motione gratiæ efficacis expeditam habeat facultatem consentiendi vel non consentiendi pro arbitrio: sive, ut loquitur S. Doctor, & quod idem est, quod Pater cœlestis attrahat homines, efficaciter scilicet, ita ut attrahentem sequantur, & tamen sic attrahat, ut eos in libero dimittat arbitrio, hoc est, ut liberam & expeditam relinquat eis sequendi vel non sequendi etiam in sensu composito tractionis facultatem. Illa autem duo conciliamus constituendo gratiam efficacem in excitante gratia, ex natura sua repudiabili, sed quæ ex directione scientiæ summè infallibilis datur voluntati quomodo ei congruit ut velit & operetur bonum. Quæ sententia multas nec leves paritur difficultates, quas hæcenus proposuimus, quasque, Deo auxiliante, sufficientissimè, ut arbitramur, resolvimus.

DISPUTATIO IV.

De gratia sufficiente.

ARTICULUS I.

De systemate & doctrina Jansenii circa sufficientem Gratiam.

§. I.

Quid sentiat Jansenius de voluntate Dei circa hominum salutem.

1. **R**ejicit voluntatem generalem, qua Deus, post absolutam originalis peccati prævisionem, velit salutem omnium hominum sic, ut omnibus etiam reprobis media ad salutem assequendam idonea præparaverit: Hec igitur, inquit, lib. 10. de gratia Christi Salvar. cap. 2. S. Augustini principia quisquis perceperit, jam facile videt non posse statui, quod recentiores plerumque solent, voluntatem quandam generalem, qua Deus velit omnes homines in damnatione primi peccati positos, salvos fieri, ex qua voluntate